

4

ENORME VTERI VIRGINEI CARCINOMA

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD D. AVGUSTI CIOLOCCCLXXVII.
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM
LEGITIME CAPESSVRVS
PVBLICE DISCEPTABIT
DOMINICVS HVBNER
FRANKENSTEINENS - SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.

BENORE
UTERI VIRGINI
CIRCUMSOMA

PETRO THOMAS HARTMANNO

AD D. J. VAVASORIS CLOTHIERUM
DOCTORIS MEDICI HINCINNATI
FESTINAM GABRIELIA

DOMINUS HABENS

TRINITY COLLEGE LONDON
1711

TRINITY COLLEGE LONDON
1711



PROOEMIVM.

Tametsi scite admodum atque adposite AV-
LVS GELLIVS: Non medico soli, existimat,
sed omnibus quoque hominibus liberis liberali-
terque institutis turpe esse, ne ea quidem cognouisse, ad noti-
tiam corporis humani pertinentia, quae non altius occultius
que remota sunt; et quae natura nobis tuendae valetudinis
caussa et in promptu esse, et in propatulo, voluerit*): suo
tamen officio defuturus certissime esset medicus, si in
his, quae abdita atque recondita in morbis esse vo-
luit natura, nihil operae impenderet, studioque tem-
peraret suo, quandocunque morborum caussae sedes
que abstrusissimis humanae machinae locis velut la-
tententes deprehenduntur. Proinde optime immorta-

A 2

liter-

*) Noctium Atticarum libr. XVIII, Cap. X.



literque de omnibus singulisque medicis meritus
 est illustris quondam IOANNES BAPTISTA MOR-
 GAGNVS: quippe qui, cum locupletissimos *de causis*
et sedibus morborum per anatomen indagatis ederet com-
 mentarios *), facem praetulit iis, qui in eodem alio-
 quin abstruso intricatoque tramite haud infeliciter
 progredi volunt. Ego vero neutquam is sum, qui,
 dum eminentissimum optimi illius senis exemplar mihi
 quoque ad imitationem propositum esse existimo,
 in rariorū solummodo morborum obseruationibus
 operam ponī oportere putem, vulgatioribus negle-
 ctis: quandoquidem ex his posteriores, quoniam fre-
 quentius occurunt, communioris quoque sunt vñs;
 priorum autem infrequentia, quantum admirationis
 excitat, tantum demit vtilitatis. Interim, dum a me
 obseruatorum et in cadaueribus indagatorum morbo-
 rum apparatum recolligo, temperare mihi non po-
 tui, quin ex infrequentioribus exemplis in praesentia
 feligerem quoddam; ne vulgarius aliquod argumen-
 tum inaugurationis medicae solemnitate, cui quale-
 cunque hoc specimen paro, non satis dignum forte
 nonnullis videatur. Ceterum omnes hos singulosque
 reliquos meos conatus diuini numinis gratiae lecto-
 rumque benevolentiae submisse officiose-
 que commendo.

§. I.

* Primum in lucem editi *Venetis*, 1500 cclxi, duobus voluminibus
in fol.

§. I.

Morbi recensendi initia.

Quemadmodum autem plurimorum grauissimorum morborum perobscura saepe solent esse initia: ita praesentis quoque, cuius historiam funestumque euentum traditus sum, atrocissimi adfectus veterini admodum difficuler euoluendae sunt origines; praesertim cum ipse egomet, quaecunque de his eruere potui, partim ex ipsa aegrota, partim ex eiusdem cognatis amicisque percontando accepi, paucis quippe hebdomadibus ante tristem exitum ad proponenda ancipiti huic morbo remedii aduocatus. Quae autem illaetabili huic fato concessit, virgo fuit, et nebili prosapia, et morum honestate, et frugali viuendi genere per totum vitae decursum longe spectatissima, et ab ista multiplici et velut multiformali praesentis aetatis luxurie atque intemperantia prorsus alienissima: quae vitia nunc vbius fere locorum iuuenilia corpora eneruant, adeoque exhaustiunt, ut, quae vix virilem attigerunt aetatem, silicernia existimes animulam vagulam mox dimissa. In prima aetate nostram et paucissimi, et admodum leues infestarunt morbi. Postquam vero in eos adoleuerat annos, quibus alioquin natura muliebris expellendi superflui sanguinis negotio subinde vacare solet, paulo segniora ipsius fuerunt molimina, adeo, ut vix exente pueritia, anno circiter aetatis undevicesimo, cattamenia primum prodirent. Cuius tarditatis non aliam inuenio caussam, quam quod nostra sedentariis muliebris operibus itemque librorum, de sacris rebus morumque

A 3

prae-



praeceptis praecipientium, lectioni, ut quaevis bene moratae virgines solent, omne fere impenderet tempus. Ab eo autem tempore satis incorruptae fuit valetudinis, singularisque menstruis vicissitudinibus recte superfluo suo sanguine liberatus est vterus: donec anno circiter aetatis quadragesimo menstrua haec periodus nonnihil turbato ordine incedere, et mox praecepitari, mox tardari inciperet, et varia simul, licet leuiora, sanitatis inferret incommoda.

§. II.

Morbi progressus.

Quippe ex ea vitae periodo sensim varia acceferunt valetudinis incommoda: singula tamen ita comparata, ut in domesticis negotiis peragendis aegrotam haud adeo moleste turbarent. Mox enim cardialgico pressa est dolore; mox, praesertim sub incessu mensum, colica interuerunt tortima; mox dolor insignis, ossi sacro velut infixus, haemorrhoidalia simulauit molimina; mox ciborum haud mediocris fuit satietas, mox laeta appetentia; mox denique, quae reliquis incommodis frequentius accessit, satis gravis cephalaea aegram infestauit. Exeunte autem sexto supra quadragesimum aetatis anno saepe numero aegram, quasi ex improviso, conuulserunt grauissimi isti spasmi veterini, hysteralgiae nomine satis inter feminas noti, adeo interdum per vniuersum corpus diffusi, ut et respirationem libaram offendenter, suffocationisque periculum minarentur. Ad haec eadem temporis periodo longe frequentius, ac antea, alius officio deesse suo coepit; adeo, ut haud raro

quar-

quartus praeteriret dies, antequam laxaretur. Quae omnia symptomata pededentim in peius ruentia eo magis miseris, quo exactius circa idem hoc tempus catamenia de novo menstruum redditum seruare cooperunt. Inter ea quoque naturalis viuidusque faciei color, quem priora ista sa- nitatis incommoda non mutauerant, sensim expalluit, eique similis est redditus, qui plerumque vultus defoedat cachecticorum aut leucophlegmaticorum. Sed hoc malorum non erat satis, longeque atrociores afflictiones aegrotam exspectabant. Nolite autem putare, lectores, ad praecidenda haec maiorum malorum initia medici cuiusdam consiliis usam esse aegrotam. Tantum enim absuit, ut sibi de tanto timeret periculo, ut potius omnia actuosis naturae viribus committi posse existimaret.

§. III.

Morbi vitaeque finis.

Verum enim vero conceptam salutis spem haud ita multo post illacabilis fecellit euentus. Vix enim duodecimquagesimum aegra attigerat annum, quum non solum priora ista, quae nunc commemorauimus, pathemata in dies magis magisque exacerbarentur, verum etiam respirandi superueniret difficultas, sensim paucarum hebdomadum interallo adeo aucta, ut, quotiescumque supina in lecto somnum capere solebat aegrota, toties grauissimam experiretur dyspnoeam. Alius plerumque erat sicca et obstipata. Paulatim quoque vis elanguuit ventriculi, ciborumque successit fastidium, praecordiorumque frequens anxietas. Dolores intelstinorum, antea tolerabiliores et tem-



temporarii, nunc sine omni fere remissione noctu interdiuque aegrotam vehementissime adligebant, noctesque paene omnes reddebat insomnes. Quas inter continuas afflictiones pededentim quoque succrescere coepit abdomen: quod tandem intra trimestre spatium in maximam expansum est molem, incredibili ratione prominentem. Venae subcutaneae, abdomini superiniectae, non solum insigniter tumebant, verum etiam passim varicosis turgebant nodis. Ipse umbilicus haud aliter, ac in grauidis euenire solet, maxime prominens atque expansus deprehendebatur. In primis vniuersa illa regio, quae sub umbilico vtrinque ilia et infra inguina definit, cum summa expansione etiam duram tactui offerebat molem, et a levissima impressione acerbissime dolebat. In his supremis fere vietate angustiis ingrauescebat spirandi difficultas, et inter continuos fere intestinorum vicinarumque partium cruciatus superioribus corporis sui locis tabescerat aegrota, pedes vero et femora oedemate intumescebant. Alius rarissime suo defungebatur officio: vrinæ potissimum patæ mingebantur, mox aqueæ pellucidaeque, mox vero et frequentius tinctæ, furfuraceæ, et tunc ad haec maxime foetentes.

§. IV.

Scholion.

In tanta autem omnium fere actionum, quas naturales medici vocant, perturbatione, tamque multiplici tot molestissimorum infestissimorumque symptomatum complicatione, accidit, quod vnumquemque artis medicae peritum

ritum magnopere admirari oportet, ut singulis mensibus cata menia, quae, vt iam supra diximus, aliquot annis ante non exquisite satis naturae ordini fuerant obedientia, nunc, siue periodum species menstruam, siue durationis spatum, siue sanguinis profluens copiam crassimque, recte naturae que conuenienter prodirent. Singulis enim viginti septem diebus praeter lapsis sanguineum redit profluuium, integro que sex dierum intervallo emanauit ex genitalibus sanguis sufficiens, floridus, et coloris consistentiaeque, quam barbare dicunt, prorsus naturalis. Raro quidem, sed ipsis tantum, qui menstruo interpositi erant effluvio, diebus, cum supremum vitae aegrota ageret annum, exstillauit ex pudendis colluuius quaedam seniosa, acris, intolsabilem fere in vagina vterina pruritum excitans, cineritii et saepe nigricantis coloris, foetorisque fere eius, rancida quo perolent projecta cadavera ritu. Quam primum vero catamenia redibant, desin tetur hoc ichoris stillicidium, sanguisque prodit prorsus intaminatus. Quid? quod ipsa illa extrema aetatis periodo, qua molestissimae vitae nunc satis pertensa animam agebat aegrota nostra, iam in quartum diem durauerant menses, haud profecto alias conditionis indolisque, ac si sanissimum, unde profluerent, esset corpus.


§. V.

Eiusdem argumenti continuatio.

Forte fortuna autem accidit, vt, cum ipsis intensissimis cruciatibus, quos paullo ante (§. IV.) descripsimus, grauissime adfligeretur aegra, medicus quidam exterus, mehos

B

tunc



tunc temporis hac in vrbe aliquamdiu diuersatus, eandem
inuiseret, offerretque medica consilia, cantorum malorum
delenitura acerbitatem. Varis in cassum propositis, tan-
dem maximam aegrotae spem excitauit ab usu efficacita-
teque pilularum quarundam saponacearum, ter per diem
deglutientiarum: quarum singulæ doses quatuor grana lau-
dani opiatæ, vulgo hoc sub nomine in pharmaceuticis ta-
bernis prostantis, continebant. Sed consilium hoc felici
optatoque caruit euentu. Tametsi enim acerbissimi inten-
siorum dolores nonnihil deleniri viderentur: tamen suc-
cesserunt protinus tantæ tamque vehementes praecordio-
rum anxietates, vt non solum aliquoties per diem animus
aegrotam relinqueret, verum etiam, quantulumcunque
ad sedendum aut connitendum supererat virium, incisis ve-
luti neruis, aegrotæ adimeretur. Accedebat celerrimum
tumoris abdominalis sua mole iam laborantis, oedematum-
que incrementum. Somno quidem per id tempus aegro-
ta, antrorum declivi capite in mensa decumbens, non
carebat: verum idem imbecille non resiciebat corpus;
quippe anxius, somniosus, turbulentus, opiatorum effectus.
Atque hic erat illaetabilis aegrotæ status, haec morbi con-
stitutio, cum optimi PRAESIDIS consilium de superanda
tantæ aegritudinis acerbitate exquireretur. Hic ergo,
postquam omnia, quae ante erant acta, percontando in-
tellexerat, facile praeuidit, morbi atrocitatem omnibus
consiliis medicis longe esse superiorēm. Ceterum ipsi
omnino adnotatu dignum est visum, quod præsens aegro-
ta anno circiter aetatis suae trigesimo ex dolente quadam
mammæ scirrho graviiter laborauerat; quae res hactenus
omnes latuerat; quodque ipsa tum temporis Berolini ab
eodem

eodem hoc malo, excisione, nescimus, an alia medela
erat liberta.

§. VI.

Idem argumentum absolvitur.

Interim, ne miserrima aegrota omni ope medica prorsus desistueretur, et ineluctabile fatum citius, quam succumbens naturae efficacitas admitteret, praecipitaretur, PRAESSES noſter ante omnia aegrae copioso iſto opiatorum uſu interdixit: ratus, illaetabile eiusmodi remedii esse beneficium, quod, dum mederi malis videtur, primarias et funestas eorundem causas celerime mirificeque auget. Quoniam vero cum aliū obſtructio vehementer opem medici vrgebat, tum etiam acerbissimi intestinorum dolores recrudescabant, clyſma emolliens atque anodynum subinde iniici iuſſit. Neque caruit haec medicina optato ſuccēſſu, ſed temporario tantum: quod intrinſecus latens cauſa mox nouas excitaret tragedias. Praeter haec quoque interno uſui oblatum eſt elixirium quoddam moderate vinofum atque ſalinum medium, extractis amaris, roborantibus, atque antifepticis foetum: ſed ſuccedentia paullo post grauiffima ventriculi pathemata, cardialgia, vomi-
tiones, tandem catarrhus ſuperuenit ſuffocatiuſ, vti in medicorum ſcholis dicitur: quo tempore, quemadmodum ſupra commemorauiimus, ultima virtutis ſuae molimina in expellendis catameniis natura teſtabatur. Quum ergo



bronchialem mucum copiose collectum aegra expedire non posset, expedituit animam; nobilissimamque virginem, et non virtutis egenem Abstulit atra dies, et funere mergit acerbo, duodequinquaginta circiter annos vix supergressam.

§. VII.

Cadaueris incisio.

Quo vero recondita tantae molis abdominalis natura intimique tam abstrusi morbi recessus luculenter apparetur, haud difficulter demortuae cognatis persuasit PRAESES, cadaueris ut permitterent incisionem. Altero ergo post mortem die ad vesperam, praefentibus simul medico isto extero, cuius antea mentionem inieciimus, et alio quodam spectatae dignitatis viro, cadaueris huius inspectio atque accurior per anatomen indagatio est instituta. Primo ergo abdomen in ingeris quasi quoddam haemisphaerium expansum deprehendebatur: adeo, ut circumiectum regioni umbilicali filum quatuor pedes Rhenolandicos, sesequipollice minus, aequaret longitudine. Venae istae varicosae, in vivente antea insigniter turgentes, nunc velut eliae apparebant, soloque potissimum nigro luridoque colore a vicinis partibus distinguebantur. Superiores partes omnes singulaeque extrema tibe erant consumtae: inferiores autem turgidae, expansae, oedematosae, hinc inde maculis nigerrimis sphacelosis, laxata et deflua epidermide testis, distinctae. Quibus incipientis corruptionis indicis ne ipsa quidem pudendorum labia carebant. Atque ex hoc ipso genitali anatro stillabat, quotiescumque corpus le-

uiter

viter mouebatur, fantes fanguinolenta, subcineritia, pef-
simi putidique odoris. Hypochondria iis locis, quibus a
costarum spuriarum marginibus terminantur, mirifice an-
trorum eminebant, et quasi in aciem extenuata videban-
tur. Ipsius cartilaginis ensiformis apex non, vt cetero-
quin a natura solet, ad perpendiculum dependebat, sed a
fursum coactis abdominis visceribus adeo extrorum antror-
umque recurvus deprehendebatur, vt cuspidi sua cutem
velut perforatus videretur.

§. VIII.

Idem argumentum.

Circumspecte dein incisis abdominis integumentis
cutaneis, musculis, et peritonaeo, protinus intolerabilis
et paene suffocans foetor nares ferit, emanauitque ex a-
bdominali cauo tabum tenui, nigricans, subcruentum, ad
putridae carnis loturam plurimum accedens. Quo ope
spongiae exterfo, corpus quoddam subrotundum, taetum
hinc inde durum, nonnullis tamen locis molle et, abfessu-
sus in modum, fluctuante colluie refertum, et superstra-
to peritonaeo vndique tectum, prae reliquis omnibus vi-
sceribus conspiciebatur: tantae quippe molis, tantaeque
amplitudinis, vt vtramque regionem iliacam, ad utrum-
que lateralem hypochondriorum marginem, cum omni-
bus intermediis subiacentibusque regionibus, immo plus
quam dimidiad regionis epigastricae partem impletet te-
geretque. Omenti vix vestigium supererat, et, quod
restabat, exile, pinguedinis expers, atque superiora ver-
sus

fus paene sub diaphragma retrusum animaduertebatur. Inferior ad haec eiusdem appendicula quedam, quae a dextro epigastricae regionis latere dependebat, erat corrupta. Iecinoris perexigua pars in hypochondrio dextro visui offerebatur, et in sinistro parua quedam eius flexurae particula, quae hoc loco colon incurvatur. Cetera omnia, quae natura aliquin hic disposuit, tecta et profunde abscondita latebant. De cetero nullibi serum extrausatum, quod medici vocant, deprehensum est, ascite laborantibus ceteroquin follemne: nisi tabum istud, cuius antea iiesta est mentio, huc referre velis, cuiusque longe profundiores fontes deinde eruemus. Ipsa autem ea parre, qua informem hanc monstrorumque compaginem inuestiebat, solito longe densius compactiusque deprehendebatur peritoneum; ut membranae pergamentae haud adeo dissimile videretur.

§. IX.

Prioris argumenti continuatio.

Potquam autem prouide tota haec moles superiori sua parte, qua libera erat, antrorum et ad latus reclinabatur, totus intestinorum tractus velut ad dorsum et sursum sub diaphragmatis fornicem retroactus atque constipatus in conspectum venit. Septi enim transuersi fornix adeo profunde, ad summa erat expansus atque coactus, ut ipsam tertiam attingeret costam. Quam exiguus exinde factus fuerit ictusque pleurae foccus, facile hinc intelligi potest: ipsam enim pectoris cavitatem non incidimus, quoniam

niā sola abdominis apertio nobis ab defunctae cognatis
erat permissa. In hoc igitur profundissimo diaphragmatis
fornice, sub quarta circiter costa, prorsus latebat ventri-
culus parvus, compressus, et vacuus, alioquin nulla labe
infestus. Ibidem quoque a dextris maxima, immo o-
mnis fere, hepatis pars a diaphragmate obtegebatur: totus
autem eiusdem contextus erat solito siccior constipator-
que, adeo ut velut exsuccum videretur corpus. Fellea
quoque vesicula erat admodum parva et coacta, et vix
aliquot bilis guttulis referata. Quod ad lienem spectat, hic
quidem fere duplo maior, quam naturalis alias esse solet
magnitudo, deprehendebatur, sed adeo profunde sursum
retroque in diaphragmatis fornicem erat coactus, ut sub
ipsa costa quarta vera iaceret. Vena splenica, insignis iste
sinister venae portarum ramus, mirum in modum et inae-
qualibus nodis tumebat: ut varicosum facile dixeris, nisi
valuularum absentia contrarium suaderet. Pancreas obserua-
batur exile, hinc inde scirrhosis acinis induratum, sub proce-
fū sterni xiphoide situm. Iisdem plurimis glandularum in-
durationibus mesenterium quoque, prorsus fere macrum
atque pinguedine desitutum, passim deprehendebatur re-
fertum; sinistra in primis ex parte, qua praedita ista enor-
mis abdominis moles, ob maiorem amplitudinem crassiti-
emque, grauius incubuerat. Atque hic quoque haud ali-
ter, ac splenica, omnes venae mesentericae cum ipso pri-
mario trunco ascidente maxime tumidae turgidaeque
sunt deprehensae. Omnis denique intestinalis tubi tractus,
quam longus est, erat vacuus atque inanis, nec vel ab i-
psis flatibus coercitis distentus, sed instar compressae com-
pactaeque compagis, dorsi vertebris adfixus videbatur. Ad
haec



haec omnes intestinorum gyri distorti et naturali suo situ deturbati apparebant: vermiciformis coeci intestini appendix paene ad perpendiculum sursum erat tensus, singulae que coli flexurae, sola sinistra colicas zone excepta, aut prorsus elisae deprehendebantur, aut aliter, ac alioquin esse solent, tortae inflexaeque. Recti intestini conditio, quod ab incumbente ita praegrandi mole penitus abscondebatur, tunc temporis nondum poterat inuestigari.

§. X.

Eiusdem argumenti absolutio.

Ad accuratiorem informis illius morbose massae disquisitionem nunc intererat, ut omnia illa viscera, quae facio suo peritonaeum complebitur, remouerentur atque ex abdomine eximerentur. Quibus ergo omni, qua par erat, circumspectione sepositis atque exemptis, postico et inferiori loco, quo pone vterum in peluim demergitur, et ad rectum intestinum retroflebitur peritonaeum, sinistra versus, corruptus et erosus dictae huius membranae deprehendebatur locus, duas circiter vncias ad omnem diametrum latus, ex quo foetidissimum illud stillabat cabum, id que eo copiosius, quo frequenter leuis totius molis compressio repetebatur. Atque hic sine dubio fons fuit eius putidi ichoris, qui statim sub abdominis incisione omnes partes subiectas inquinabat, spongiaque erat extergendus. Prout igitur peritonaei saccum ad marginem ossium ilium pubisque incidimus, et a contiguis partibus ita separauimus, ut, salua vtraque eius superficie, et qua antorsum super vesicam

vesicam vrinariam migrat, et qua postica parte ab iliacis
vasis vtero superinicitur, tandemque in se ipsum reddit, la-
tumque vteri conficit ligamentum, vera vteri, vesicae, re-
stique intestini conditio detegeretur. Quo facto mox li-
quido apparuit, solum vterum cum annexis ovarii tubis
que esse illam ipsam virginie huius corporis partem, quae,
varia multiplicique corruptione, mox distinctius explican-
da, defoedata erat, atque hinc in tantam enormemque
excreuerat molem. In imapelui maxima eiusdem prorsus
foententis ichoris, quem antea offenderamus, erat collu-
ties, vt ne exteros quidem continua mundandis his suf-
ficeret locis. Lotii diuerticulum, vesica, ad pubis ossa pror-
sus adpreffa, admodum exigua, inanisque erat; et, cum
taetu simul dura deprehenderetur, incisio dein constipatam
coactamque, immo callosam, demonstravit. In transuer-
sum vix sesquipolllicis erat diameter: anterior vero facies
a posteriori vix septem lineis Parisinis distabat. Vreteres
sub vasis iliacis plani erant atque compressi; inter haec ve-
ro suumque ex renali pelui ortum multis amplissimisque
ampullis turgebant. In renibus nihil a natura deprehen-
sum est alienum.

§. XI.

Vterus morbosus descriptus.

Pone vterum autem rectum intestinum adhuc late-
bat. Ergo plane monstruosus hic vterus antea, quam in-
teriora eiusdem persequamur, quod ad situm ambitumque
illius attinet, strictim conciseque erit describendus. Primo
ergo

C



ergo vniuersum vteri corpus a solita naturalique figura
 plurimum declinabat. Hic enim nullos utrinque videris
 margines, hic nullas facies anticas posticasque distin-
 etas, hic nullum supremum leuiter arcuatum marginem,
 fundi vterini terminum: nam tota haec moles in sphae-
 ricum quoddam vnde extuberauerat corpus, hinc in-
 de minoribus et inaequalibus obſitum tuberculis; quo-
 rum alia insigni erant duritie, alia vero mollitie sua laten-
 tem liquidam fluctuantemque materiem prodebat. Poſte-
 rior tamen facies in nonnullam explicata videbatur planiti-
 em: non quod ibidem forte denila vteri compages diftendent
 maligno succo efficacius restiterat; sed quod hoc ipso in lo-
 co ob efficaciorem vertebrarum lumbarium sacrique ossis
 renis ipse vterus magis mole laborauerat sua, inprimis
 sub reclinato aegrotae ſitu. Sinistri ovarii tanta erat ma-
 gnitudo, vt totam regionem eius lateris iliacam ad hypo-
 chondrii marginem vsque absolute impleret, et vix spa-
 tiolum conficiendae, quae colicam terminat zonam, fle-
 xurae relinqueret. Totius huius ovarii contextus scatebat
 duodecimtū amplis folliculis, subflavi coloris, plerisque
 ad nucis iuglandis magnitudinem accedentibus, singulis pe-
 fime olente et ipsum cultellum anatomicum affidente ichore
 plenis. Hinc etiam ea peritonaei produc̄tio, quae lig-
 mentum huius lateris latum constituebat, ob grandius, cui
 circumiecta erat, spatium abunde nimis expansa atque pro-
 tenta animaduertabatur. Eandem ob cauſam sinistra quo-
 que tuba, rectae lineae instar, longissime exorrecta erat,
 fimbriis simul, super omnem ovarii ambitum, in tenuissi-
 ma fila exfoliatis. Dextro contra lateri nonnihil incum-
 bebat ipse vterus, ipsum dextrum hypochondrium tangens:
sub

sub cuius inclinatione, in angulo iliaco pelviique ovarium dextrum iacebat, ibidem turgidum, sed non ita amplum, ac sinistrum, septemque tantummodo eiusdem generis, ac in altero, folliculis obsecsum. Totius autem huius ovarii sedes videbatur fursum conuersa atque distorta: quandoquidem respondens eidem tuba, aliquot complicationibus inflexa, at latus uteri dextrum deorsum pendebat, denuoque in se retroacta fimbriis suis, adhuc satis manifestis atque distinctis, ovario adhaerebat. Ad utriusque autem ovarii tubaeque confinia mirum in modum turgebat vniuersum vasorum sytema, in primis seminalium, eo in loco, quo in plexum coeunt pampiniformem.

§. XII.

Vteri interior corruptio.

Verum enim vero, ut varia tantae corruptionis deformitatisque uterinae genera, quae hic latebant, liquido eruerentur, ipsique interiores uteri recessus haud difficulter exquirerentur, torus muliebrium, tam internorum, quam externorum, apparatus, laxatis antea et a vicinarum partium nexu sejunctis una cum vagina externis pudendis, circumspecte est exspectus, et ex abdominali cauo exemptus. Quo in opere quam infestus, quamque detestabilis foetor secantibus summan fecerit molestiam, cogitari vix potest, nedum describi. Hoc autem certum est, quam quod certissimum, vel integro hebdomadis intervallo secantium manus huius pessimi paedoris reliquias feruasse, licet si epe numero per singulas dies instituerentur lotiones. Tota haec vitiosorum horum muliebrium compages, trutinae ope expensa, excessit adhuc una vncia viginti duas libras

C 2

civilis,



ciuilis, quod vulgo dicunt, ponderis. Ergo ut commo-
 dior esset accuratiorque vicios huius systematis vterini dis-
 quisitio, vniuersum hunc exemptarum partium apparatus
 detulimus domum. Atque hinc primo vaginam anatomico
 subiecimus examini: nam, quae ad externa pudendorum
 labia spectant, iam antea erant explorata. Extrinsecus
 hic singulos illos arteriarum vaginalium ramos, hinc a dex-
 tris ex glutaea sive haemorrhoidal externa oriundos, illinc
 a sinistris ex iliaca interna sive hypogastrica descendentes,
 variisque ramulis vaginam perreptantes, prorsus exiles,
 compressos, et fere elisos confpeximus: venae e contra-
 rio sociæ, ex hypogastricis vtrinque natae, non per to-
 tum solummodo vaginae ambitum, sed in ipsis quoque suis
 truncis, mirifice turgebant, et sanguine spiffo atque ni-
 gricante erant refertissimæ. Incisa dein ad longitudinem
 vagina statim hinc inde, inter valulosas eiusdem rugas, collu-
 uiei istius saniosae, quae iam antea, vt supra diximus, ex
 pudendis stillauerat, vestigia apparuerunt. Longe pluri-
 mis vero eiusdem vaginae locis, inprimis ad vtriusque pa-
 pillaris columnæ et plexus anterioris venosi confinia, in
 arcuatæ rugarum valleculis, serum deprehendebatur subcru-
 entum rubellumque, ex suis adhuc ostiolis stillans, quo-
 tiescumque ipsa vaginae compages leuiter comprimeretur;
 sine dubio catameniorum nuperime, dum animam age-
 ret aegrota, fluentium reliquiae. Ceterum iusto magis
 elongata erat vagina, et hinc quoque superiori parte, qua
 vteri osfum respicit, parum rugosa, plerisque simul lacu-
 nis mucosis fere collisis: cuius rei cauſa forte in vtero, ob
 ingentem suam molem nimis superiora detruso, latebat.
 Qua de causa etiam ipsum os vteri neutiquam, vti in virgi-
 nibus

nibus solet, in vaginam prominens atque eductum, sed planum et maxime superum, obseruabatur. Duas tandem, sed admodum parus, maculas in vagina post clitoridem in sinistro latere a sphacelo corruptas vidimus. Atque nunc denique exploratum intestinum rectum a scybalis vacuum erat, nec singulare quidquam aut a natura alienum intuentibus offerebat, praeter insignem tubi sui exilitatem adpendentesque in fine duas haud exiguae varices, nunc ab exfectione flaccidas: utrumque phaenomenon forte ab intestini compressione oriundum.


§. XIII.

Idem argumentum.

Sed dissecitus ad eandem longitudinis directionem uterus distincte ostendit, quoque extrema primaria cuiusdam visceris corruptio, immo iactura, progredi possit, fusilite tamen utcunque hominis vita. Primo enim sub ipsa dissectione admodum dissimilimus sui deprehensus est contextus hic vterinus: adeo, ut hic incidenti culculo vel sua sponte cederet, illic vero tanta reniteretur densitate, quanta vix in cartilagine obseruari solet. Cuius discriminis insoliti ratio mox intellecta est. Binis enim his vteri partibus utrinque sepositis, vniuersam hanc massam perfecte solidam deprehendimus: quippe nec vlla, vtero aliquin propria, cuitas, nec cylindricus ceruicis vterinae tubus, vel sub curatissima inquisitione inuestigari potuit; immo, ipsa omnis totius vteri figura ita grauiter erat laesa atque viciata, vt nemo fundi, corporis, ceruicisque limites, alioquin in vtero a natura perfectissime positos, di-

C 3

stinxer-



stinxerit. In sola dextra parte, eo scilicet loco, quo ad
 definitum angulum alias emittitur tuba, FALLOPIO co-
 gnominis, exiguum supererat cauum, ad omnem diamet-
 rum vix quatuor linearum Parisiensium: in quo solo inter-
 nae membranae vterinae pulposae aliquod a nobis visum
 est vestigium; neque ostii tubarum rimula absuit, sine con-
 tinuato tamen ductu, qui vel tenuissimam admitteret se-
 tam. Reliqua omnis totius pristinae cauitatis vterinae pars,
 sub pessimi huius mali initium, a tenui quadam sanie ero-
 fa, denuoque, ut et alibi frequenter fieri solet, coalita et
 velut conglutinata videtur: vnde dein, postquam malignus
 humor rodendo et dissoluendo ulterius proferpsit, vniuer-
 sa vteri compages facillime infici corrumptique potuit.
 Namque tota deformis haec massa, in plures sectiones cul-
 tello porro diuisa, ex diuersis quasi corpusculis coaliuisse
 videbatur, singulis tamen arctissime inter se compatis.
 Hic enim loca erant iudurata, densa, albicantia, scirrho-
 rum duritiem praeferebant; illic folliculi maiores mino-
 resue, liquore cinereo liuidoque, et ad haec summe foetido,
 turgidi; istic denique ductus fistulosi sinusque infor-
 mes, callo inuestiti, aut luxuriante carne, polyporum in-
 star, referti, omnes singulique acri putridoque ichore ma-
 dentes, et in inferiori inprimis et sinistro posticoque loco
 affatim congesti; quippe qua etiam parte exederant perito-
 neum. Orificii vterini interni ne vestigium quidem ex-
 quiriri potuit: quandoquidem, ut diximus, et ceruix cum
 corpore vterino in unum ulcerosum confusumque abierat
 chaos. Externi ostii rimula quidem in conspectum venie-
 bat, sed vix ultra duas lineas Parisienses introrsum expor-
 rigebatur. Vnuerquam denique hanc rudem indigestamque
 molem

molem circumiectum induratum et fere callosum peritonaeum, incisioni grauiter resistens, coercedebat.

§. XIV. *Ovariorum constitutio.*

Postremo nunc supererant ovaria vna cum tubis inquadranda. Vtriusque tubae peruersum et a naturali directio-ne aberrantem situm suo iam descripsimus loco. Sini-stra tuba omni, vel tenuissimo, carebat ductu, sed, li-gamenta in modum, fimbriis suis ab expansione nimia filo-rum instar extenuatis, ovario suo arctissime erat circumiectum. Ipsum autem hoc sinistrum ovarium, quod magni-tudine sua paene ipsum tumidum veterum superabat, sicuti supra exposuimus, membrana vestitum erat, peritonei propagine, adeo crassa et constipata, ut, cum incideretur, sectionis diameter semipollicem aequaret. Ipsa viciosa hu-ius ovarii compages tota, quantaquanta erat, deprehen-debatur fungosa, cineritio colore, vbiunque incideris, in-festa, et, quotiescumque premeretur, subcruentum liqui-dumque serum velut exsudans. Huic informi massae, an-trorsum potissimum, insidebant duodecim ampli isti folliculi, quorum supra iam mentionem inieciimus, densissi-mae telae cellulose ope ovario annexi: quos forte haud inopportune pristinas illas *bullulas Graafianas* reputaveris, ovariorum nomine notiores, nunc a viciosa lympha turge-factas atque vitiatas. Dextri ovarii annexorumque folli-colorum, si horum minorem numerum illiusque contra-riorem magnitudinem excipiias, idem fuit status, eadem-que compages. Foetido ichore itidem turgebant folli-culi,



culi, ouariumque putris fungosaque videbatur caro. Tum quoque nullus permeabat canalis; sed media circiter parte expansus obseruabatur locus, auellanae nucis magnitudini aequiparandus; quo inciso singularis deprehensus est folliculus, a tuba distinctus, et a rugosa eiusdem membrana, quae hic supererat, facile separandus. Sed contentus hoc folliculo liquora reliquorum folliculorum putrichore non differebat. Atque haec omnino cognouimus, cum, quae singulis ipsis memoratis folliculis comprehendebatur, sanie variis tentaminibus chemicis exploraremus. Primo enim ad eum caloris gradum, qui ceneſimo quinqueſimoque thermometri Fahrenheitiani gradu definitur, quique ceteroquin ouolorum Graafianorum lympham cogit, neutquam coacta haec est sanies, sed foetor potius augeri viſus est. Neque quidquam in eadem colluui cogenda valuit efficacitas alcoholis vini, aut acidorum meracorum: sed putridus odor solummodo tantillum est diminutus. Candentibus carbonibus instillatus exſecrabilem mephithim exhalavit hic ichor. Ab infusioni denique spiritibus alcalinis volatilibus nonnihil spillari et albescere coepit idem: sed paullo post deliciū iterum cum insigni foetoris incremento. Ex quibus omnibus inter se collatis saltē apparuit, liquorē hunc folliculorum istorum absolute omnem naturalis lymphae depositse naturam. Quo facto manū detracimus de tabula, putidaeque opera fecimus finem.

§ XV.

Epicrisis pathologica.

Verum enim vero eius, quod nobis constituimus, instituti haud refert, longa cauſarum, ex quibus atrocissimum

mum hoc malum, cuius succinctam nunc dedimus historiam,
 ortum incrementumque suscepit, evolutione lectores mo-
 rari: quandoquidem haud exiguis eorum scriptorum me-
 dicorum exstet numerus, qui de grauissima huius generis
 labe vterina amplissime locupletissimeque sunt commentati,
 quorumque eruditissima commentatoria a quolibet, in descri-
 pti morbi rationes inquisituro, haud difficulter possunt con-
 ferri. Ex quibus, honoris causa, clarissima nominasse
 sufficiat nomina IOANNIS GEORGII ROEDERERI,
 IOANNIS FRANCISCI FONTAINE, IOANNIS EH-
 RENFRIED SCHLENKERI et IOANNIS LEONHAR-
 DI GASSMANNI: quorum priorum de scirrhis tumo-
 ribusque vteri carcinomaticis libellos academicos typo-
 graphica opera repetendos curavit illustris ALBERTVS
 de HALLER in *Disputationum medico-practicarum tomo*
quarto; posterioris autem de scirro vteri commentatio anno
 CLOCCCLVIII. Argentorati lucem adspexit. Interea, quae
 ad praesens spectant exemplum, pauca quaedam, illustra-
 tionis gratia, liceat monuisse. Diffiteri haud possumus,
 plerosque vteri scirhos, sive simplices, sive in carcino-
 mata conuersos, ex eiusdem visceris inflammatione, tan-
 quam ex stirpe, progigni: quotiescumque haec neque
 resoluta est, neque abiit in suppurationem, sed, spissato
 congesto liquore, tota fluidarum solidarumque partium
 massa in unam eandemque coiit compagem. Quid si
 vero vniuersi huius morbi, cuius in praesentiарum de-
 dimus historiam, accessionem, incrementum, decursum
 que accurate expendamus, nulla antecedentis cuiusdam
 incendiī vterini deprehenduntur vestigia: quippe enormes
 isti cruciatus abdominales, qui duodequinquagesimo conti-
 gerunt



gerunt aegrotae anno, haud improbabili ex coniectura,
scirrho iam nato confirmatoque superuenisse videntur. Pro-
inde longe magis vero consentaneum existimamus, eo ipso
tempore, quo post sextum a quadragesimo annum fre-
quentissimis acerbissimisque spasmis hysteris exagitatus
est vterus, turbato simul paulo ante catameniorum ordi-
ne, in minimis vasculis vterinis passim, sed lento progres-
su, existitisse variij generis obturamenta, dein in lentorem coa-
cta; quo magis magisque in dies spissato apparata est scir-
rhi officina, p[ro]cedentim vterum in extuberantem molem
infaciens, tandemque novo lentorum impa[ct]orumque
humorum motu, vnde cuncte illato, carcinomatam
enixa exulcerationem. Atque hic scirrhi in carcinoma
transitus duodequinquagesimo aegrae anno, cum dolores
isti abdominis vehementissimi irruere inciperent, conti-
gisse videtur.

§. XVI.

Epicrisis physiologica.

Sed et physiologicae disciplinae scriptores habent,
vnde ex consignata hac memorabilis huius exempli historia
aliquid in suas trahant partes. Iam est veteris disceptationis in-
ter gravissimos subtilissimosque illius scholae doctores qua-
stio: vterusne, an vagina, sanguinem menstruum fundat.
Neutquam repetemus in praelentione eorum clarissimorum vi-
rorum argumenta, qui vterinae vaginae partes sibi sumserunt
defendendas, eandemque praecipuam menstrui fluxus san-
guinei officinam existimarunt. Longe certioribus enim

aper-

apertioribusque rationibus omnes fere recentissimi scriptores physiologi, et, qui solus confirmandae huic sufficeret sententiae, nunquam sine veneratione nominandus potissimum ALBERTVS de HALLER, ille *primus in humani corporis historia*, ad solum vterum, tanquam ad fontem, primarias muliebris profluvii menstrui partes deferri oportere, luculentissime demonstrarunt. Interim, ex praefenti quoque exemplo apertissime constat, naturae vbiique in machina humana patere vias, quibus scopo suo potitur, quotiescumque consuetum et quasi regium impeditur iter. Id, quod in vagina vteri eo minus mireris, quo propinquiori nexus cum vtero per innumera inosculantia vasa, ex communibus potissimum truncis enata, cohaeret. Verum enim vero cum omnes huius generis errores saepenumero naturam in inextricabiles praecipitent labyrinthos, omnibus profecto virginibus feminisque, quippe elegantissimae humani opificii parti, *ex ingenuo animo*

Optandum est, ut sit mens sana in corpore sano,

Aique vterus peragat, quod bene coepit, opus.




2. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
3. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
4. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
5. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
6. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
7. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
8. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
9. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
10. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
11. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
12. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
13. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
14. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
15. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
16. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.
17. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.

18. And if he be not able to do it then let him pay
the price of the oxen which he had sold him.

Ula 3991 b

X 2309089



ENORME VTERI VIRGINEI CARCINOMA

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD D. AVGUSTI CLOCCCLXXVII.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM
LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLC DISCEPTABIT

DOMINICVS HÜBNER
FRANCKENSTEINENSIS - SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.